

Zeitschrift: Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie
Band: 7 (1893)

Artikel: De ordine veritatis
Autor: Commer, Ernestus
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-761700>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 04.04.2026

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>



DE ORDINE VERITATIS.

Scrpsit ERNESTUS COMMER.

I.

Unus est Deus et unus Christus et unus coetus Christiadam verus, cuius pulcritudinem, cum tota sit divina, nullus enarrare potest.

In hac unius Dei Reparatoris una civitate, quam supra montem sic aedificavit, ut a nemine non videri posset, ordinem miramur divinum, quia perfectissimum.

Religionis enim causa, per quam virtutem servitium cultusque Deo redditur ab hominum sacra gente, templum resplendet universum, cuius auctor ipse Christus.

Hanc aedem religiosis ab hominibus, qui Deo totis inhaereant viribus, est aequum iustumque custodiri: in hoc enim perfecta conditio consistit, quippe quae caritas consummata finis sit totius status religiosi, quo coniugium mentis cum Christo spirituale perficitur.

Ipsa tamen ordinis universi ratio diversos in una Dei civitate postulat ordines religiosae vitae: nam variis finibus et exercitiis diversi quoque gignuntur absolutae religionis actus et officia plurima, quibus vitae perfectioris modis lex evangelica iam pridem splendescit.

Fulget enim prae cunctis Carmelus venerandus mons, conditoris Eliae fulmine pollens atque Theresiae magistrae novae radiis coruscis insignis, cuius arduae rupis gloria tota paritur ab antiquitate.

Antonius solivagus Pauli discipulus etiam deserta loca docuit habitari.

Almus monachorum pater a Domino vere Benedictus, ut animos ad opus Dei rite peragendum purgaret, plurimos altissimosque montes exstruxit sublimiori norma: et alter Eliseus communis vitae bonum grata societate restituit.¹

Austerus Bruno beatorum sodalium mores instituit, angelicam quorum solitudinem soli coelestes Angeli frequentabant et ne loquentes quidem solo cantu solabantur otia vitae.

Bernardus quoque mellifer valles umbrosas floribus et fructibus amoenas ex horridis et incultis reddidit.

Franciscus pauper et humilis ardore caritatis piacula tot obtulit, quot fratres atque sorores cingulo paupertatis aureo vinxit.

Ignatius magnus vir societatem, cui nomen ab Jesu, celeberrimam pietate prudentia fortitudine roboreque condidit ad maiorem Dei gloriam promovendam.

Quos inter sanctos patresfamilias nescio tamen, cui maiora laudum munera daturus sim, nisi Dominico flammigero gentis Hispanae sideri, qui quo magis colitur, eo stella coeli religiosi mirabilior ac splendidior evadit.

Etenim pastor et dux inclitus in populo Dei factus,² gloriosus Dei confessor beatus Dominicus,³ fidei catholicae strenuus propagator,⁴ cum praedicationi desudaret, infinitis haereticis ab errore revocatis, ecclesiasticam libertatem restauravit,⁵ primus omnium magistri s. Palatii dignitate donatus⁶ ac primus fidei quaesitor in Ecclesia catholica creatus est.⁷ Ecclesiam Lateranensem sustinere visus est in somnis a pontifice.⁸ Cum Gallia et Italia a perniciosis premerentur haeresibus, ad iram Dei placandam et Beatissimae Virginis intercessionem implorandam piissimum illum orandi modum instituit, qui rosarium sive psalterium Beatissimae Virginis nuncupatur.⁹ Qui praedicator orbis a secretis

¹ Gregor. IX. Bull. Ord. Praed. Romae 1729 t. 1 p. 67 nr. 108.

² Gregor. IX. ib. t. 1 p. 68 const. 108. ³ S. Pius V. ib. t. 8 p. 31 nr. 205. Cf. Paulus IV. ib. t. 5 p. 53 const. 13. Clemens VIII. ib. p. 509 const. 28. ⁴ Ib. t. 5 p. 276. ⁵ Ib. t. 7 p. 3 nota 6. ⁶ Ib. t. 3 p. 81 nota 1. ⁷ Ambros. de Altamura, Bibl. Ord. Praed. ed. Rom. 1677, vol. 1. p. 429. ⁸ Ib. l. c. ⁹ Gregor. XIII. Bull. O. Pr. t. 5 p. 318 const. 11.

Deiparae¹ vita et conversatione Deo et hominibus noscitur placuisse.² Cuius mirabilis humilitas virtutibus³ meritis⁴ miraculis immensis et innumerabilibus⁵ votisque pro veritate patiendi purissimis celebratur. Cum veritatis amicus humillimus omnes eiusdem terreret inimicos, idem venator animarum faustus, quo mandatum legis amore complevit, eo tantum veritatis amicitiam superavit. Qui tibicen evangelii Dominicus ultro prae cupiditate martyrii destinaverat transfretare ad infideles, illic in mercedis loco ambiens computari, si pro fide membratim per singulos artus saevissime intercisis evulsis demum oculis sineretur in suo sanguine volutari.⁶

Vir non solum nomine, sed numine quoque Dominicus; et ipse dominus, quia partem dominationis cum Christo cepit; et effectus unus cum Deo spiritus,⁷ ipse sui Domini vir totus, cui simillimus exemplari factus et verus amicus.⁸ Qui dominici gregis custos assiduus,⁹ vere Dominicus, omni virtute custodiens Domini voluntatem.¹⁰ Sed ipsa natura, quam Christus salutifer humanam sumpsit, est dominica, cui divus ille praeco penitus conformatus, et ipse Dominicus audit. Unde qui Christum laudat dominum, Dominicum collaudet oportet: ac qui Dominicum Christi veneratur, non nisi Christum videtur adorare.

Etenim post incarnatum Dei Filium, qui primum fundamentum Ecclesiae, columna firma fortisque beatus Dominicus apparet.

Quem si digne laudibus evehere cupis, ordinem fratrum praedicatorum, quem tantus pater, luminis fidei suo tempore maxima in parte extincti illustrator,¹¹ miro ac sacro flamine celeberrime a cunctis Christicolis statuit fore colendum,¹² nuncupasse sat est.

¹ Ambros. de Altamura, Bibl. O. Pr. vol. 1 in fine. ² Gregor IX. Bull. O. Pr. t. 1 p. 58 const. 89. ³ Gregor. IX. ib. t. 1 p. 68 const. 108. ⁴ Clemens IV. ib. t. 8 p. 17. nr. 101. ⁵ Alex. V. ib. t. 2 p. 500 const. 22. Cf. Gregor. IX. t. 1 p. 57 const. 89. ⁶ Clemens IX. ib. t. 6 p. 251 const. 42. ⁷ Gregor. IX. ib. t. 1 p. 68 const. 108. ⁸ B. Jordanis de Saxonia opera, ed. Berthier Friburgi Helvet. 1891 p. 50. ⁹ Ib. p. 9. ¹⁰ Ib. p. 51. ¹¹ S. Pius V. Bull. O. Pr. t. 5 p. 276 const. 112. ¹² Alex. V. ib. t. 8 p. 24 nr. 146. Cf. Gregor IX. ib. t. 1 p. 68 const. 108.

II.

Tanta virorum perfectorum, quales appellantur religiosi, multitudo, cum bene sit ordinata, recte dicitur agmen ordinum.

Itaque divinissimae civitatis incolae faustissimi custodesque fidelissimi sacrum regimen Angelorum beatorum, quod in patria viget, in via fortunatis auspiciis aemulantur.

Qui divinas illustrationes a Christo capite sub exercitio disciplinaque vitae religiosae percipiunt uberrimas, cum principium medium finemque discernere queas, tres profitentium religionem gradus distinctos exhibere videntur.

E quorum castris proceres sunt, qui res divinas contemplando simul et opera caritatis peragendo vitam coelestem degunt in terris: nam melius est illuminare, quam lucere solum; maioris quoque dignitatis est, ea quae cogitamus, aliis tradere, quam tantum contemplari.

Honoribus autem populus auctus solum contemplandi studio vacat; multa denique sine nomine plebs actionibus tantum bonis exercetur, quamvis in hoc excelso monte viles ipsi regibus et principibus orbis maiores sunt.

Sed nomen ordini cuique proprium proprietatem significat eiusdem, superior igitur ordo nominandus a perfectiori vivendi lege.

Omnes inter Angelos ordini Cherubim, qui proceres militiae regiae sunt, singulare nomen est a plena scientia tributum, qua ceteri superantur: cui simillimus inter homines, quantum fieri potest, inclitus ordo veritatis institutus a Dominico nostro.

Etenim spiritus illi purissimi Cherubim vocantur, quia summa Dei visione fruuntur: quod singulare praemium praedicatorum futurum, quibus aureola quoque debetur, iam scientia theologiae, cui plurimum solent invigilare, feliciter in terris anticipatur; nam beatitudo, quae nihil aliud est quam gaudium de veritate, maxime consistit in Dei contemplatione.

Cherubim quidem facem divinam plenissime suscipiunt, in quam facies vertunt: quae veritas divina sole clarior praedicatores fratres illuminat: veritas enim doctrinae liberat ab errore, veritas

autem gratiae mundat a peccato, sed veritas aeternitatis etiam servat a corruptione.

Cherubim sapientes pulcrum, quod a Deo derivatum continetur ordine rerum, in ipso Deo spectant. Cum nostri praedicatores, qui divinae providentiae dispositionem contemplari non cessant, lumine rationis manifestantis et ordinantis utantur, ipsam pulcritudinem, quae claritate debitaque proportione componatur, ad eorum vitam per se pertinere constat: quorum religio famosa, testibus summis Pontificibus,¹ in se decus habet perfectae pulcritudinis.

Qui Cherubim tantam copiam divinae cognitionis in ceteros Angelos indole munifica spargunt: instituitur autem praedicatio propter Dei gloriam nec non propter hominum salutem, cum fratres instinctu fidei, stimulo fervoris et largitate mercedis ad praedicandum moveantur, ut et fide nuntiata Dei splendorem magnificentiamque demonstrent, et eius beneficia pandant accensis amoris ignibus. Quare qui res utiles tum praesenti tum futurae vitae praedicant, ipsi pacis angeli² triplicem pacem videntur annuntiare, quam Christus inter hominem Deumque fecit, et quam cum cunctis hominibus habere iubemur, et quam mortalis homo valet in semetipso possidere. Quae cum vera pax ab omnibus appetita, quae tranquillitas ordinis est, a Deo detur et efficiatur caritate, ut in aeterna vita perficiatur, ipsi pacem cum omnibus habere cupiunt et persecutores etiam pro divina reverentia diligere delectantur.³ Atque perfectione gaudii, quod e summo vero percipiatur, cum spiritibus coelestibus, quorum similes fieri student, in aeterna civitate coniungi desiderant, ut unus eorum sit ordo.

Itaque Praedicatorum familia religiosis e viris composita, qui possunt ad veritatem dirigi, veritatis ordo nominari potest, qui custodiens veritatem quasi sol in Dei templo refulget.⁴ Nam pro integritate et veritate christianae fidei conservanda⁵ ipsius

¹ Clemens IV. Bull. O. Pr. t. 8 p. 18 nr. 106. B. Benedictus XI. ib. p. 21 nr. 125. ² Gregor. IX. ib. t. 8 p. 7 nr. 36. ³ Alex. IV. ib. t. 8 p. 11. nr. 68. ⁴ Clemens IV. ib. t. 8 p. 16 nr. 101.

⁵ Eugen. IV. ib. t. 8 p. 25 nr. 157.

ordinis professorum fructuosa studia mentes lumine veritatis illustrant,¹ ut in veritate fides nostra sit illuminata et Ecclesia exaltata per eum.² Quorum verba divinitus inspirata spiritus sunt et vita,³ veri et fideles Christi ministri⁴ sunt. Hi sunt igitur, quos iuxta sapientis consilium praecedit ante omnia verbum verax, sermo videlicet praedicationis evangelicae cum innocentis vitae puritate concordans; hi sunt, qui ambulantes in tenebris mundi huius lumen catholicae veritatis ostendunt.⁵ Dominus Deus in assertionem veritatis suae ex vobis videtur fidelia lucis irrefragabilis testimonia produxisse: o quantum robor fidei christianae: veritatem didicistis a Domino et docetis.⁶

III.

Cum duplex in rebus ordo sit, et a principio dicendus et ad finem referendus, ordo veritatis ille religiosus ex eo consideratur, quod a veritate producitur et ad eam tendit.

Alta sapientia Dei Patris in Ecclesia sancta catholica, Gregorius IX. praedicatores fratres allocutus inquit, viros virtutis et gratiae divino constituit pollentes eloquio et sanctae conversationis splendoribus emicantes, quibus tamquam fulgore stellarum eius sponsa inclita refulgescit, de quorum numero fratres vestri ordinis possunt exprimi speciales.⁷ Splendor paternae gloriae, de luce lucem proferens, et saluti humani generis clementer intendens, lucernam pedibus hominum et eorum semitis lumen dedit, dum ipse lux vera, quae omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, ordinem vestrum, lucernam quippe igne caritatis ardentem et lumen doctrinae fulgore praelucidum, in templo Ecclesiae universalis accendens, ut omnibus longe lateque reluceat, super candelabrum eminentis religionis erexit.⁸ A Dei sapientia deditus in lucem gentium,⁹

¹ B. Benedict. XI. ib. t. 8 p. 20 nr. 124. ² Sixtus IV. ib. t. 8 p. 26 nr. 168; cf. Innoc. VIII. ib. p. 27 nr. 174. ³ Gregor. IX. ib. t. 8 p. 6 nr. 21. ⁴ Gregor. IX. ib. t. 8 p. 6 nr. 20. ⁵ Clemens IV. ib. t. 8 p. 16 nr. 98. ⁶ Innoc. IV. ib. t. 8 p. 10 nr. 57. ⁷ Gregor. IX. ib. t. 8 p. 6 nr. 24. ⁸ Clemens IV. ib. p. 15 nr. 98. ⁹ Gregor. IX. ib. p. 7 nr. 37.

et a Patre luminum in domo sua siderea claritate constitutus¹ ordo vester institutus divinitus² claret in conspectu altissimi Patris³ et inspirante Deo, velut coelum micat stellis, sic personarum numero et virtute coruscat.⁴ Hic est ordo plantatus in agro dominico divina dispositione,⁵ quem divus sponsus ad cumulandos dilectae sponsae suae sacrosanctae Ecclesiae in terris militantis coelestes triumphos excitavit.⁶ Quoniam abundavit iniquitas et refriguit caritas plurimorum, ordinem fratrum praedicatorum Dominus suscitavit, cui est eorum grata religio.⁷ Hic ordo divinitus Ecclesiae senescenti in sustentationis baculum provisus est.⁸ Hi sunt quos evangelicus ille paterfamilias novos vittores suae vineae suscitavit.⁹

Cuius ordinis principium veritas ipsa. Etenim Deus ipse veritas ea, quae summa maxima prima veritas omnium: rebus in creatis nihil est nisi vanitas vanitatum, sed in Deo nihil nisi veritas veritatum. Homo quidem, cuius nobilitas oritur e veritate, mente praestat atque deitatis imagine. Animus enim, cum cogitans rem capiat alteram, fit intelligendo quid aliud a se. Qui forma servata propria valet alterius quoque rei formam sibi copulare cognitam. Qua mentis conformitate cum rebus perfecta capitur veritas eius, quod est et auctoris sui menti conformatur. Itaque magna res veritas, cuius qui participes fiunt, divinas vires sortiuntur facti semetipsis maiores.

At divina substantia veritas est ipsa: Deus enim, cuius esse penitus est essentia sua divina, rei veritas est ipsa; sed illud esse divinum, quod dicitur, est et intelligere suum, Deus igitur est ipsa veritas intellectus quoque. Cum veritas sit intellectus lumen et bonum, Deus, qui res et intellectus omnes et metitur et causat, ipse summa prima purissimaque veritas est et omnis veritatis regula. En pulchra veritas, Deo propria, tributa tamen hominibus, una cunctis et prima, cuius vi vera sunt, quaecumque

¹ Bonifat. IX. ib. p. 23 nr. 142. ² Nicol. III. ib. p. 19 nr. 110.
Nicol. IV. ib. p. 20 nr. 116. ³ Nic. III. ib. p. 19 nr. 110.

⁴ Johann. XXII. ib. p. 22 nr. 132. ⁵ Martin. V. ib. p. 24 nr. 149.

⁶ Benedictus XIII. ib. p. 35 nr. 241. ⁷ Honor. III. ib. p. 5 nr. 8.

⁸ Innoc. IV. ib. p. 10 nr. 55. ⁹ Gregor. IX. ib. p. 6 nr. 22.

vera sunt, cuius accepimus partem, cuius ipsi pars aliqua sumus. Ad quam veritatem sui principem religiosus veritatis ordo refertur, qui cognoscendo verum partem veritatis incommutabilis capit.

Veritas autem divina, qualis est personae divinae, soli Filio convenit, qui veritas ipsa: quem, cum sit unus sine pari magister, cognitionem creatis omnibus ingerens Christus, qui civitatem veritatis condidit, etiam felix ordo veritatis respicit.

Unde non mirum tantum miraculum, ipsam Dei matrem sacri rosarii reginam, quae non minus mente quam carne proxima fuerit Incarnati Verbi mysterio, superatis omnibus dignitatibus angelicis, huic veritatis ordini praesidere. In qua gratia tota viae veritatisque, cum pro cunctis veritatem quaerentibus laboraverit, ea mulier sapiens est, quae veritatem respondeat in Israel.

Itaque Maria sapientissima, magistra vera, sub Filio caput ordini veritatis alterum, a qua dono rosarii regali praeditus regatur, ita proprium constituta videtur, ut ipsa iure colatur hereditario¹ in eo. Namque ipsa vestivit ordinem et desuper humerale imposuit, quod astringens cingulo aptavit rationali, in quo erat doctrina et veritas.²

Posuit autem in rationali iudicii doctrinam et veritatem, quae erunt in pectore novi Aaron, quando ingreditur coram Domino: et gestabit iudicium filiorum Israel in pectore suo, in conspectu Domini semper.³

Instar agentis intellectus, qui toti serviat Ecclesiae, Virgo sapiens illa formas mundi materia factas, quem praedicatores aspiciunt intelligendum, suis erga mentes viribus illuminat, ut in intellectum quem dicunt possibilem christianae societatis, quod veritatis instrumentum Spiritus sanctus prius movet atque regit, species perfectiores assumantur, quibus ipsi verba resonare faciant in Ecclesiae corde dicta.

Dixit enim Pater ab aeterno Verbum suum, Filiusque genitus est, qui mundum creavit. Dixit ancilla quoque Domini

¹ Cf. Urban. IV. B. O. Pr. t. 1 p. 420 const. 6.

² Levit. 8, 78. ³ Exod. 28, 30.

Maria virgo, materque Verbi facta, quod mundum redintegrait. Dicunt etiam Maria iubente fratres verba Verbumque cum Maria praedicant ipsum, qui veritatem complent ore nec non opere.

IV.

Sed eadem veritas, quae principium, finis quoque rerum.

Amatur enim per se veritas, quam nullus homo non degeneratae naturae non diligit, imo scire super omnia cupit.

Veritas, cum bonum sit intellectus ab ea perficiendi, intenditur ab intellectu summo, qui res omnes condidit. Qui finis ultimus universi quaerendus est a sapientibus, quorum felix officium maxime servatur et docendo divinam veritatem, quam cognoverunt, et errorem vincendo.

Veritas ergo prima finis omnium desideriorum, quae ratione praeditus homo nutrit, et omnium, quas exercet actionum.

Unde creata veritas ipsa maius quid anima videtur eo, quod mens solo vero perficitur.

Cuius viam veritatis eligentes praedicatores opus ordinis implent, ut et ad summum verum perveniant ipsi ceterosque perducant, dum nemini serviunt nisi veritatis origini soli Deo.

Nec aliud quid praeter sapientiam veram quaerentes eam sedulo meditantur: nam Christo credunt, acquiescunt sapientibus, quorum antiquae veritati student, Deo psallunt, et ipsi iusti docent alios recte vivere. Studio litterarum intellectus quidem illuminatur, errores eliminantur, paratur opus concionandi, lascivia domatur et avaritia, denique iuvatur obedientia, quae reverentia Dei procedens mater est virtutum.

Haec autem sapientia, cum divinae sit originis, non ad cognoscendum tantum, sed ad dirigendum quoque plurimum valet: quia quia causae considerantur altissimae, de rebus omnibus ipsa iudicat et ordinat omnia.

Inde virtutem veritatis eam sibi capiunt, qua verum dicunt et ipsi veraces dicuntur. Ac veritatem, quae viros etiam despectos facit claros et fortes, loquentes armis vinci nescii sunt, quia veritas personis differentibus nunquam variatur. Quam veritatem vitae doctrinae iustitiae sermonisque manifestantes

praedicatores sunt tubicines: qui vigiles ad aeternae veraeque vitae statum simul excitant, hortantur ad bellum gerendum, nuntiant praecones aeterni regis¹ accessum, ad ineundum bene vivendi consilium vocant, et invitant ad Dei festum perenne concelebrandum.

Quod officium bonis moribus et erogatis operibus supra modum solent honorare.

Qui veritatis praedicatores, cum fabulas dicere non liceat, magis Ecclesiam meritis et doctrinis ipsam custodire debent atque colere: quod ad faciendum polleant oportet et eloquentia Philippi nec non Andreae bonis operibus.

Unitas igitur multitudinis, quae verum respicit attingendum, veritatis ordo recte dicitur: qui cum principalis a Christo constitutus artifex sit, formam, quae caritas est, inducit, et materiam bonam, quae fidelium corda sunt, ita praeparat, ut architectus veri templi Deo construendi per saecula fiat.

Qui finis veritatis ordini proprius hisce, quibus utitur legibus sancitus est: Ordo noster praedicatorum ex sua prima institutione est principaliter essentialiter et nominaliter ad docendum et praedicandum, ad communicandum aliis contemplata et ad procurandam animarum salutem institutus.² Quare ne conventus aliquis admittatur absque doctore solemniter lege cavetur.³

Quos fratres officio docendi designatos esse ipsi Romani Pontifices testabantur. Quorum summis oraculis ordo praeclarus scientia,⁴ sapientiae dono specialiter insignitus⁵ et dono scientiarum quasi sidus praerutilans⁶ laudatur, qui viris litteratis omni tempore floruit.⁷ Cuius doctrinae⁸ praeclarae⁹ catholicae

¹ Gregor. IX. B. Ord. Pr. t. 8 p. 7 nr. 36. ² Bull. Ord. Pr. t. 8 p. 277 nr. 20. ³ Ib. l. c. ⁴ Innoc. IV. ib. p. 8 nr. 40. Alex. IV. p. 15 nr. 94. Nicol. V. p. 25 nr. 158. 159. 160. Sixtus V. p. 27 nr. 171. Pius IV. p. 30 nr. 199. ⁵ Alex. IV. p. 13 nr. 83. ⁶ Gregor. XI. p. 23 nr. 141. Cf. Eugen. IV. p. 25 nr. 154. ⁷ Innoc. VIII. p. 28 nr. 175. Paul. III. p. 30 nr. 194. Sixtus IV. p. 26 nr. 167. Gregor. XIII. p. 31 nr. 210. Urban. VIII. p. 32 nr. 222. Clem. XI. p. 33 nr. 230. ⁸ Clem. VII. p. 29 nr. 191. Johannes XXII. p. 21 nr. 98. 127. ⁹ Innoc. VIII. p. 27 nr. 174.

salubris¹ salutarisque² candor³ soliditas⁴ excellentia⁵ magisterium⁶ magnique fructus⁷ illustrantur.⁸ In quo quasi solis radius lux eruditionis elucet,⁹ Dei candelabrum per orbis latitudinem ordo Praedicatorum,¹⁰ qui robur fidelium et infidelium clarum lumen existit,¹¹ quasi fax ardens et matutinum sidus irradians totumque christianae reipublicae firmamentum illustrans,¹² Ecclesiam sanctam Dei splendore sui luminis foecunda prole laetificat atque exaltat uberrime.¹³

Fratres igitur praedicatores strenui pugiles orthodoxae fidei,¹⁴ vera mundi lumina,¹⁵ sicut invicti Christi athletae scuto fidei et galea salutis armati,¹⁶ verbum Dei gratis et fideliter proponentes,¹⁷ Ecclesiae sanctae pernecessarii, verbi Dei sunt evangelizationi totaliter deputati.¹⁸ Qui viri in lege Dei periti,¹⁹ virtute conspicui,²⁰ mites et humiles,²¹ potentes in opere et sermone,²² lucentes in mundo quasi luminaria continentia verbum vitae,²³ speciales Christi nuntii,²⁴ quorum sonus praedicationis per diversa mundi climata noscitur exivisse,²⁵ eo sunt ad confutandos haereticos aptiores, quo magis in eis vivificat vita doctrinam et doctrina vitam informat.²⁶ Quorum laudatur fidei²⁷ puritas et eminentia sanctitatis,²⁸ professores ordinis praedicatorum in nostra religione primarii.²⁹ Quae cum praedicatio fratrum ipsorum Deo gratissima sit,³⁰ pro integritate et veritate christianae

¹ Bull. O. Pr. t. 8 p. 274. tit. 6 qu. 1 nr. 2. ² Martin. V. ib. p. 25 nr. 151. ³ Julius III. p. 30 nr. 197. ⁴ Paulus III. p. 30 nr. 193. ⁵ Clemens VII. p. 29 nr. 190. ⁶ Eugen. IV. p. 25 nr. 154. ⁷ Leo X. p. 28 nr. 182. ⁸ Eugen. IV. p. 25 nr. 156. ⁹ Bened. XI. p. 20 nr. 124. ¹⁰ Urban. IV. p. 15 nr. 96. ¹¹ Eugen. IV. p. 25 nr. 154. ¹² Urban. VIII. p. 32 nr. 220. ¹³ Johannes XXIII. p. 24 nr. 193. ¹⁴ Alex. IV. p. 11 nr. 66. ¹⁵ Alex. IV. p. 11 nr. 68. 69. ¹⁶ Honor. III. p. 4 nr. 1. ¹⁷ Id. ib. nr. 2. ¹⁸ Innoc. IV. p. 9 nr. 52. ¹⁹ Honor. III. p. 4 nr. 3. 4; p. 5 nr. 9. ²⁰ Id. ib. nr. 10. ²¹ Innoc. IV. p. 10 nr. 61. ²² Alex. IV. p. 15 nr. 95. ²³ Clem. IV. p. 18 nr. 106. ²⁴ Gregor. IX. p. 8 nr. 38. ²⁵ Alex. VII. p. 32 nr. 223. ²⁶ Johan. XXII. p. 22 nr. 135. ²⁷ Alex. IV. p. 14 nr. 84. ²⁸ Bonifat. IX. p. 24 nr. 144. ²⁹ Alex. V. ib. nr. 145. ³⁰ Pius II. p. 26 nr. 162. ³¹ Clem. X. p. 33 nr. 226. ³² Gregor. IX. p. 7 nr. 31. ³³ Id. p. 6 nr. 25. ³⁴ Alex. IV. p. 15 nr. 91. ³⁵ Innoc. VIII. p. 27 nr. 173. ³⁶ Alex. IV. p. 11 nr. 68.

fidei conservanda et salute animarum fructus pariunt in Dei Ecclesia salutare¹ et uberrimas.²

Qui sanctissimus ordo semper fuit sanctissimae sedis apostolicae et salutaris obedientiae filius,³ semper fidei catholicae sanctaeque Ecclesiae defensor,⁴ apostolicae sedis pacem et dignitatem fortiter tutatus est.⁵

Hic igitur honestate floridus, praeclarus scientia et virtute fervidus ordo,⁶ immaculata religio,⁷ rectae vitae speculum et salutiferae conversationis exemplum,⁸ tuta religiosae tranquillitatis statio.⁹

Itaque praeclarissimus ordo, a quo tot christianarum virtutum exemplaria prodire,¹⁰ inter alios ordines ampliori gratia meritorum, praerogativa virtutum et tamquam religionis exemplar maiori claritate resplendet.¹¹

Dominicus igitur alter Moyses providit de cuncta plebe viros potentes et timentes Deum, in quibus veritas, et constituit ex eis tribunos, qui iudicent populum omni tempore.¹²

V.

Salve regalis inter aves coeli vagas aquila, generose veritatis ordo, cuius omnis honestas oritur ex vero.

Tu volucris sacra Deo solem veritatis aspectu non caligante tueris: praeceps volatus tuus et altissimus eminenti contemplatione divinatorum.

Huius alitis versicoloris odor fervore caritatis acutissimus.

Subtilia loca studio coelestis conversationis petit.

Haec avis eo velocior, quo promptior ad operandum bonum.

¹ Eugen. IV. p. 25 nr. 157. ² Pius II. p. 26 nr. 161. Sixtus IV. ib. nr. 166. Paul. V. p. 32 nr. 217. ³ Sixtus IV. p. 26 nr. 169. Leo X. p. 29 nr. 186. ⁴ Paul. III. p. 30 nr. 196. Paul. V. p. 32 nr. 218. ⁵ Leo X. p. 28 nr. 182. Jul. II. ib. nr. 181. Leo X. p. 29 nr. 185. ⁶ Innoc. IV. p. 8 nr. 40. ⁷ Clem. IV. p. 18 nr. 105. ⁸ Innoc. IV. p. 10 nr. 58. Eugen. IV. p. 25 nr. 155. ⁹ Bened. XIII. p. 34 nr. 232. ¹⁰ Clem. X. p. 33 nr. 227. ¹¹ Johan. XXII. p. 21 nr. 129. Bonifat. VIII. p. 20 nr. 123. Clem. VII. p. 29 nr. 190. ¹² Exod. 18, 21, 22.

Iuventus tua perenni cura mores emendandi magisque proficiendi renovabitur in dies.

Pulcritudinem miror membrorum, quae viso virtutum decore placent.

Sollicitudinem filiorum volvis animo, quos innumeros sanctos reliquisti.

Qui claritate beatitudinis illustravit ordinem,¹ primi parentis tui stella singularis ubique lucet; micat sol angelicus: sed lumen orbis ordo veritatis totus a Dominico compositus, collustratus a Thoma, benedictus ab aeterno luminum Patre.

Benedictus Dominus Deus Dominici, qui nec abstulit ab eo misericordiam nec veritatem suam, sed recto perduxit itinere Thomam in domum fratris Domini mei.

Dominicus ipse doctor veritatis Thomae filio tradidit augustam regulam doctoris Augustini, qui parens² in ea profitenda colitur: sed duplex in Thoma spiritus Augustini factus est.

Qui cum divinus homo, veritatis amator unicus; ab Hippo- nensi magistro, cuius vestigia secutus est,³ tantopere solidatus esset, index ipse divinitatis aureus factus est, quo thesauri sapientiae scientiaeque Dei clarissime panduntur. Et Thomae quidem nostri digitus, quo perforatum Dei corporati latus et divinissimi cordis arcana nobis intelligenda monstravit, mundi magister solemniter creatus est.

In quem patres universi sapientiae radios immiserunt, ipse bene scripsit de Christo, teste Christo, qui veritas ipsa.

Qui beatus doctor non est magis doctrina quam virtute et sanctitate magnus,⁴ cuius in visceribus pietas, in intellectu claritas, in affectu bonitas, in mente sanctitas, in corde caritas.⁵ Dignus igitur prorsus iudicatus est, qui praestes tutelarum studiorum cooptaretur.⁶

Homo candidissimus, quaerens quid Deus sit, prius tacere didicit, ut lucem potius quam verba loqueretur. Quique candide

¹ Clem. IV. Bull. O. P. t. 8 p. 17 nr. 101. ² Bened. XIII. ib. p. 289. ³ Urban. V. ib. p. 280 nr. 6. ⁴ Leo XIII. De s. Thoma Aq. patrono coelesti studiorum optimorum cooptando. D. 4. aug. 1880. ⁵ Clemens VI., Sermo: Docebat nos. ⁶ Leo XIII. l. c.

confessus est, quidquid sciret, non tam se studio aut labore suo sibi peperisse, quam divinitus accepisse,¹ inter angelos eruditus sapientia praeceptor angelicus librum grandem sumpsit, in quo sine ullo prorsus errore² compendium veritatis et eloquium divinum scripsit hominis utens stilo.

Sol videtur ipse, cuius divinus fulgor viam per nubes aperuit. Cuius praecelsam doctrinam, quae certissima christianae regula doctrinae,³ aliis magis tuta et segura,⁴ orbi terrarum et divinis et propriis est comprobata testimoniis,⁵ Romana sequitur et servat Ecclesia,⁶ Romanique Pontifices magno semper in pretio habuerunt totoque mentis affectu amplexi fuerunt.⁷ Cuius qui testimonia scrutantur, ipsi beati dicuntur: nam qui doctrinam Thomae tenuerunt, a veritatis tramite numquam deviaverunt, cum qui eam impugnaverint, semper fuerint de veritate suspecti.⁸

Aquinas haec aquila rapida, custos fulminis divini, praedam veritatis ex erroribus rapuit atque mendacia rabida diripuit.

Sed Thomam qui doctorem profitetur, Albertum quoque magnum, cuius in disciplina tantus ille vir creverat, praedicatorum splendorem proclamavit: in quo plenitudo doctrinae viguit,⁹ eum Pius P. II. ore proprio titulo beati decoravit et inter doctores Ecclesiae post s. Thomam recensuit.¹⁰

Cuius ordinis in horto Agnes de Monte Politiano perfusa coelesti rore sequitur agnum sponsum virginum; Catharina Senensis virgo sapiens floret, quae laudibus immortalibus efferenda divinae magistra disciplinae superior fuit ipsa natura;

¹ Leo XIII. Encycl. Aeterni Patris. D. 4. aug. 1879.

² Clem. VIII. B. O. Pr. t. 8 p. 284 nr. 17. ³ S. Pius V. ib. p. 282 nr. 10. ⁴ Id. ib. nr. 11. ⁵ Id. ib. nr. 10. ⁶ Innoc. XII. ib. p. 286 nr. 24. ⁷ Clem. XI. ib. p. 286 nr. 25. Cf. ib. tit. 6 qu. 2 p. 279 sqq. — Leo XIII. Encycl. (Aeterni Patris) de philosophia christiana ad mentem s. Thomae Aq. Doctoris Angelici in scholis catholicis instauranda; Ep. ad Card. de Luca S. C. studiis regundis Praefecto d. 15. oct. 1879; Const. de s. Th. Patrono studiorum d. 4. aug. 1880; Ep. ad Card. Praefectos Academiae Rom. S. Thom. Aq. d. 21. Nov. 1880.

⁸ Innoc. VI. Sermo de S. Thoma. cf. Leo XIII. Encycl. Aeterni Patris.

⁹ Alex. IV. B. O. Pr. t. 1 p. 387 const. 257. 258. ¹⁰ Ib. t. 6 p. 15 nota 4.

Rosa Limana, principalior totius Americae patrona constituta,¹ virentis rosarii decus illustre fulget: candet inter roscia lilia Ceslaus, et suave rubet Hyacinthus, par sanctum germanorum.

Amandum fratrem Susonem vix sine cordis lacrimis appello, qui dulcissimum nomen Jesu crudeli ferro sibi scripsit in pectore tenero, quod monumentum divinae sapientiae caritate mirabilis ipse sculpsit Deumque verissime praedicavit.

Aedem Christi Petrus primus e praedicatoribus martyrum sanguine generoso decoravit. Raymundus de Pennafort Ecclesiae leges collegit et iura stabilivit ac poenitentiam veram docuit. Vincentius Ferrerius almus, Hesperiae gloria sublimis, miro tubae clangore, quo dies irae nuntiaretur, per orbem sonuit. Antoninus sacerdos magnus Florentinus consilia non spernenda doctor tulit. Ludovicus Bertrandus utrique mundo praeconium fidei cum morum disciplina peregit. Pius V. summus Pontifex, qui maximam vitae partem visus est in hoc ordine degisse non sine summa animi tranquillitate laetitiaque,² princeps ipse fratrum gregisque virtus ordinem verum civitati Dei post magnam victoriam precibus rosariis reportatam restituit. Hominum divinorum, qui sanctissimi viri Dominici filii nobilissimi fuerunt, mors in conspectu Domini gloriosa, superstes apud posteritatem memoria.

Salve vera veritatis proles, aquila dominica: solve metus; fama sanctorum tuorum, qui votivis pectoribus ubique terrarum verum docebant, salutem tibi feret maximam.

Probum veritatis ordinem laudo, cuius in mores nullum cadit probrum feritatis.

Proinde Dominice pater una cum tutoribus angelis, tuo quaesumus ordini lumina pande. Age Maria simul cum Dominico tuo, tuere magistros, salva fratres, serva tuam, quam sacraasti familiam, servatamque tantis in rerum vicibus auge feliciter et propaga.

Itaque vive vigil veri fideique custos, vive valeque clarissime veritatis ordo.

¹ Clemens X. ib. t. 6 p. 268. ² S. Pius V. ib. t. 8 p. 30 nr. 200; cfr. nr. 201.

